



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 134. Qua virtute, & ex qua materia fiant corpora ab Angelis assumpta,
& qualia sint quoad figuram, & qualitates visibiles, & tangibiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

& Ioannes fuerunt nuntij à Deo missi.

14. Dicendum igitur cum S. Thoma articulo 2. ad 2. quod Angeli assumunt corpora per unionem accidentalem, qua uniuntur illis ut motores mobilibus factis ad representandum motores, eorumque proprietates. Angeli nimirum formant sibi corpora sensibilia apta ad representandas proprietates intelligibiles ipsorum, & dum illis uniuntur accidentaliter, talia corpora dicuntur assumere. Hinc redditur ratio, quare licet Angeli motores uniantur accidentaliter corporibus celestibus, non dicantur illa assumere. Ratio est, quia non uniuntur illis ut factis ad representandas proprietates intelligibiles Angelorum. Ex eadem ratione demones non assumunt corpora energumenorum, licet illis uniantur ut motores.

15. Ad 1. nego minorem. Licet Angeli non indigeant corporibus propter se, corporibus indigent propter nos, ut familiariter conuersari possint cum hominibus, & sic representent intelligibilem societatem Angelorum, & hominum in vita futura. Addit S. Thomas in resp. ad 1. Angelos in veteri testamento corpora assumpsisse, ut saltem imperfectè figurarent Verbum diuinum assumpturum corpus humanum per unionem hypostaticam, & sic in carne appariturum hominibus.

16. Ad 2. nego minorem, eiusque probationem. Ostentum est enim multas apparitiones Angelorum non fuisse per solam immutationem visus, vel imaginationis, sed per assumptionem corporum.

17. Ad 3. Damascenus dicens demones transformari in quam volunt figuram secundum phantasiam significat demones transformari, assumendo corpora phantastica, nimirum corpora, quæ videntur humana, licet non sint humana, belluina, puta draconis, leonis &c. licet non sint draconis, leonis &c. Corpora nimirum, quæ videntur humana, & non sunt humana, dicuntur phantasmata. Ideo Apostoli Matthæi 14. & Marci 6. cum Christus noctu venisset ad illos ambulans super mare, dixerunt, *quid phantasma est*, nomine phantasmatis significantes corpus, quod videbatur humanum, cum non esset humanum.

18. Ad 4. Licet Lamia, de quibus loquitur Concilium Aquirense, videantur sibi multa videre, & plures regiones peragraré per solam immutationem phantasie, tamen non est negandum Angelos bonos, & malos sæpè hominibus apparuisse, & apparere etiam per assumptionem corporum, ut explicatum est.

19. Ad 5. Angeli assumunt corpora, non per informationem substantialem, neque per unionem hypostaticam, sed per unionem accidentalem motoris cum suo mobili formato ad representandum præsentiam, & proprietates Angeli assistentis. Et quia licet Angeli motores uniantur accidentaliter corporibus

celestibus, & demones uniantur corporibus energumenorum, non uniantur illis ut corporibus formatis ad representandum præsentiam, & proprietates Angelorum, ac demonum assistentium, ideo nec Angeli motores assumunt corpora celestia, nec demones assumunt corpora energumenorum, ut dictum est numero 14.

QVAESTIO CXXXIV.

Qua virtute, & ex qua materia fiant corpora ab Angelis assumpta, & qualia sint: quoad figuram, & qualitates visibiles, & tangibiles?

1. **P**rimo videntur corpora assumpta non effici virtute naturali Angelorum assumentium, sed virtute Dei supernaturaliter operantis. Angeli enim non possunt mutare corpora, nisi per motum localem, & per accidentia, quæ consequuntur motum localem, ut dicitur q. 203. sed dum Angeli assumunt corpora, quæ videntur humana, talia corpora sunt affecta multis accidentibus, quæ non possunt consequi ex motu locali; ergo. Probatur minor: nam ex motu locali possunt quidem sequi figuræ, sed non possunt sequi colores, & alia accidentia corporis humani.

2. Secundo videntur corpora Angelorum non posse fieri ex materia aerea. Nam materia aerea non potest esse lucida; sed aliquando Angeli assumpserunt corpora lucidissima; ergo.

3. Tertio videntur corpora assumpta Angelorum fuisse quidem visibilia, sed non fuisse tangibilia, & palpabilia. Nam Christus Luc. 24. discipulis apparens dixit, *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*; sed nomine spiritus intellexit corpora phantastica; ergo corpora phantastica, qualia sunt corpora ab Angelis assumpta, non sunt palpabilia tactu.

4. Respondeo, quod cum ostenderimus Angelos assumere corpora, sequitur, ut explicemus, ex qua materia fiant talia corpora; qualia sint quoad figuram, & alias qualitates visibiles, & tangibiles; & qua virtute formantur.

5. Queritur igitur, primo ex qua materia fiant corpora ab Angelis assumpta?

6. Respondeo, quod aliqui, quos refert S. Bonaventura dixerunt corpora Angelorum fieri ex materia celesti. Durandus in 2. dist. 8. quæst. 1. docuit corpora Angelorum fieri ex aere crasso, qui cum densatur, apparet figuratus, & coloratus, sicut nubes, & hanc opinionem videtur docere Sanctus Thomas 1. parte quæst. 51. articulo 2. ad 3. Alexander 1. parte quæst. 34. membr. 4. & Albertus docuerunt corpora Angelorum fieri ex aere prout nunc est, ita ut corpora bonorum Angelorum fiant ex aere superiore, corpora demonum ex inferiore, & hanc opinionem videntur desumpsisse

Ecc

le

se ex Iſidoro lib. 1. de summo bono cap. 12. & ex Beda Tomo 8. lib. quæst. 9. S. Bonaventura in 2. dist. 8. 2. parte dist. artic. 2. quæst. 2. Richardus ibidem, artic. 1. quæst. 3. Scotus quæst. 1. Gabr. quæst. 1. artic. 2. & alij, quos refert, & sequitur Vasquez 1. parte, quæst. 184. cap. 4. n. 16. docent corpora Angelorum fieri non ex puro aere, sed ex aere mixto cum aliqua substantia crassiori.

7. Dicendum; corpora Angelorum sunt ex substantia aerea, non pura, sed localiter mixta cum alijs substantijs crassioribus, puta terreis, vel aqueis, & etiam tenuioribus, puta igneis, ita vt ex ipsis certo modo condensatis, vel rarefactis resultet corpus facile resolubile habens illam apparentiam sensibilem, quam Angelus intendit. Probatur: nam Angeli possunt corpora phantastica componere, non solum ex substantia aerea, sed ex pluribus substantijs localiter mixtis; ergo si ad hoc, vt corpora habeant illam apparentiam, quam Angeli intendunt, requiritur mistio localis plurium substantiarum, Angeli localiter coniungunt, & miscent plures substantias, prout requiritur ad illam apparentiam causandam; sed vt corpus assumptum habeat apparentiam non solum visibilem, sed etiam tangibilem corporis humani, ultra aerem condensatum requiritur etiam mixtio alicuius alterius substantiæ crassioris, humidioris, calidioris &c; ergo. Confirmatur: nam aliquando Angeli apparent in corporibus lucidis aereis: ergo corpora illa constant non solum ex substantia aerea, quæ non est lucida, sed etiam ignea, ac lucida. Ad do Sanctum Thomam 1. parte, quæst. 51. art. 2. ad 3. dum asserit corpora assumpta fieri ex substantia aerea condensata, non negare, quod admisceantur etiam aliæ substantiæ.

8. Quæritur secundo, vtrum corpora assumpta sint solum visibilia, vel etiam tangibilia, palpabilia, & tractabilia tactu.

9. Respondeo Augustinum in Enchiridio cap. 59. non audere definire, vtrum corpora ab Angelis assumpta sint solum visibilia, vel etiam palpabilia, & tractabilia tactu. Dicendum nihilominus, est Angelos aliquando assumere corpora non solum visibilia, sed etiam palpabilia. Probatur: nam Angeli per mixtionem localem, & condensationem non solum possunt formare corpora visibilia, sed etiam tangibilia, & palpabilia; sed aliquando ita apparuerunt, & apparent, vt exhibuerint, & exhibeant sua corpora solum videnda, non autem palpanda, aliquando ita, vt sua corpora exhibeant etiam palpanda; ergo licet aliquando assumant corpora solum visibilia, tamen aliquando assumunt corpora etiam palpabilia. Probatur minor: nam Gen. 18. & 19. Abraham, & Loth lauerunt pedes Angelij; Gen. 32. Iacob luctatus est cum Angelo; ergo tales Angeli induerunt corpora non solum visibilia, sed tractabilia. Rursus demones incubi, & succubi exhibent sua corpora tactu palpanda; ergo. Verisimile tamen est, quod cum

Angeli exhibent se solum videndos, habeant corpora tenuiora, ac solum visibilia, non autem palpabilia.

10. Quæritur tertio, qualia quoad figuram sint corpora ab Angelis assumpta?

Respondeo, quod cum Angeli exhibent se non solum visibiles, sed etiam tractabiles sub figura corporis humani, corpus illud tangibile per motum, & condensationem verè formatur figura corporis humani, proportionaliter ac formatur materia, ex qua fit statua; cum autem exhibent se solum visibiles, sufficit, vt materiam ita disponant, vt representet figuram corporis humani, licet talem figuram non habeat, proportionaliter, ac nubes aliquando exhibent figuram hominis, aut equi &c. licet illas non habeant.

11. Quæritur quarto, qualia quoad colores, & alias qualitates visibiles sint corpora ab Angelis assumpta.

12. Respondeo, quod vt dixi in Philosophia lib. 4. vel 5. quæst. 22. de anima ex luce diuersimodè obscurata propter opacitatem subiecti resultant colores, qui vocantur transeuntes, seu apparentes, quales apparent in iride, in collo columbæ &c; ergo Angeli diuersimodè obscurando lucem corporis ignei per admissionem corporis opaci, possunt corpus assumptum diuersis coloribus transeuntibus, siue apparentibus imbueri, ita vt causent apparentiam corporis humani. Quia verò visu percipimus corpora solum quoad figuram, & colorem, patet, quo pacto corpora assumpta se habeant quoad qualitates visibiles.

13. Quæritur quintò, quo pacto corpora Angelorum se habeant quoad qualitates tangibiles.

14. Respondeo, quod Angeli materiam illam diuersimodè condensando, ac rarefaciendo, dant illi duritiem, & molliem similem illi, quam habent carnes, & ossa, & aliæ partes corporis humani, ita vt in tactu causent apparentiam carnis, ossium &c. Admissionem etiam corporum calidorum dant illi calorem proportionalem illi, quem habet corpus humanum. Idem dic, cum Angeli assumunt corpora similia corporibus aliorum animalium.

15. Quæritur sexto, vtrum corpora assumpta fiant ab ipsis Angelis virtute naturali, an potius fiant à Deo supernaturaliter operante?

16. Respondeo S. Thomam prima parte, quæst. 51. artic. 2. concludere: *Et sic Angeli assumunt corpora ex aere, condensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.* Sed posset ulterius quæri, vtrum virtus diuina, hoc est diuinitus accepta, qua Angeli formant corpora, sit naturalis, data, ipsi Angelis in creatione, an sit virtus supernaturalis? Dicendum cum Alberto, & S. Bonaventura, quos refert, & sequitur Vasquez prima parte, disput. 184. cap. 4. in fine, illa effici ab Angelis virtute naturali. Ratio est, quia fiunt per mixtionem localem, & condensationem

nem

nem plurium corporum, & applicationem aliarum causarum; sed hæc non sunt supra virtutem naturalem Angelorum; ergo &c. Confirmatur: nam dæmones assumunt corpora ad pessimos fines; ergo incredibile est Deum dare dæmonibus virtutem supernaturalem ad illa corpora formanda. Non tamen nego aliquando bonos Angelos assumpsisse aliqua corpora supernaturaliter effecta: exempli gratia corpus assumptum ab Angelo, qui nomine Dei alloquebatur Moysen, cum haberet lucem immentiam, & maiorem etiam luce Solaris, probabiliter formatum fuerat à Deo supernaturaliter operante.

17. Ad 1. patet ex dictis, quo pacto Angeli per motum localem possint assumere corpora affecta illis accidentibus, cum quibus apparent.

18. Ad 2. Iam dictum est corpora assumpta non fieri ex solo aere, sed ex aere localiter misto cum alijs corporibus, & etiam cum igne, itaut per missionem ignis possint esse lucida.

19. Ad 3. Ex verbis Christi, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, non probatur corpora phantastica non posse esse palpabilia, sed solum non posse esse palpabilia, sicut corpora habentia veras carnes, & vera ossa, ita ut palpan, & diligenter attendens possit ex diuersa sensatione, quam causant, discernere corpus verum à phantastico. Videri potest Vasquez 1. parte, quæst. 184. cap. 2. num. 12. vbi hanc doctrinam confirmat quadam Historia ex Caietano 2.2. quæst. 95. art. 5.

QVAESTIO CXXXV.

Virum Angeli in corporibus assumptis possint exercere opera vite, siue actus vitales?

S. Th. quæst. 51. art. 3.

1. **V**idetur, quod possint, primo quia in corporibus assumptis formantur oculi, carnes, & alia organa sensuum; sed frustra formarentur, nisi Angeli per talia organa possent exercere operationes vitales, & sensitiuas videndi, audiendi &c. ergo.

2. Secundo motus progressius est actus vitalis, ut docet Aristoteles 2. de anima, text. 13. sed Angeli in corporibus assumptis moti sunt motu progressiuo ambulationis &c. Dicitur enim Gen. 18. quod Abraham simul gradiebatur deducens Angelos, qui ei apparuerant; ergo.

3. Tercio locutio est actus vitalis; sed Angeli in corporibus assumptis loquuti sunt; ergo.

4. Quarto comestio est actus vitalis; sed Angeli in corporibus assumptis comederunt cum Abraham, ut dicitur Gen. 17. ergo.

5. Quinto generatio est actus vitalis; sed

dæmones incubi leguntur coisse cum mulieribus, & ex eis filios generasse; ergo.

6. Respondeo duo esse genera operationum, & actuum vitalium, qui exercentur per corpus, & per organum corporeum. In primo genere sunt actus vitales, qui etiam secundum suam substantiam non possunt exerceri, nisi per corpus viuum, quod per formam, qua viuit, se moueat ab intrinseco ad talem actum. Tales sunt operationes sentiendi, imaginandi, appetendi. Operationes enim sentiendi non possunt exerceri, nisi per corpus viuum, quod per formam, qua viuit, ab intrinseco se moueat ad sentiendum: exempli gratia operatio videndi non potest exerceri, nisi per oculum viuum, qui ab intrinseco se moueat ad videndum; operatio audiendi non potest exerceri, nisi per aurem viuam; operatio tangendi non potest exerceri, nisi per carnem viuam; operationes imaginandi, & appetendi non possunt exerceri, nisi per organum corporeum viuum. In secundo genere sunt actus, qui secundum substantiam videntur posse exerceri etiam per corpus non viuum, sed secundum modum particularem non possunt exerceri, nisi per corpus viuum; exempli gratia motus progressius pedum secundum substantiam motus videtur posse exerceri etiam per pedes non viuos, at secundum modum particularem, quo procedit vitaliter ab ipsis pedibus, non potest exerceri, nisi per corpus viuum. Isti actus secundum suam substantiam sunt indifferentes, ad hoc, ut sint vitales, vel non vitales, & constituuntur vitales per modum processionis: exempli gratia motus progressius pedum est indifferens ad hoc, ut sit vitalis, vel non vitalis, & constituitur vitalis per modum, quo procedit à pedibus ut actiue concurrentibus ad motum per formam, qua viuunt.

7. His positis, dicendum primò: Angeli in corporibus assumptis non possunt exercere actus ita vitales, ut etiam secundum substantiam non possint exerceri, nisi per corpus viuum, cuiusmodi sunt actus sentiendi, imaginandi, appetendi sensibilibus &c.

8. Probatur: nam actus sentiendi &c. non possunt exerceri, nisi per corpus viuum; sed Angeli non viuificant corpora, quæ assumunt, cum non sint forma corporis, sed illis purè assistunt, ut dictum est quæstione 128. ergo Angeli per corpora assumpta non possunt sentire, videre, audire, tangere, imaginari, appetere &c. & vniuersim non possunt exercere vitam ex operationibus, quæ ita sunt vitales, ut neque secundum substantiam possint exerceri per corpus non viuum.

9. Dicendum secundo: Angeli in corporibus assumptis possunt exercere actus, qui secundum suam substantiam sunt indifferentes ad hoc, ut fiant vitaliter, vel non vitaliter, sed non possunt illos exercere vitaliter. Probatur: nam Angeli in corporibus assumptis possunt mouere pedes motu progressiuo ambulationis, sed non possunt per pedes exercere talem

Ecc 2

talem